

Questio vnica

quem: sed hoc ipse negat. Contra tunc motus non esset ens successuum. Dico ego quod subiectum non est capax infinite qualitatis et qualitas habet determinatum gradum intensiōis ideo calor infinitus non produceret calorem infinitum in subiecto. Sed dices quare tu concedis infinitum intensiue et non extensiue et quod calor separatus non habet determinatum gradum sicut alie res naturales certam quantitatem. De comprehensione dicit non sequitur hoc cognoscit infinita ergo comprehendit deum ut dicit. S. Th. de veri. q. 20. ar. 4. ad primum quia anima christi habet cognitionem quodammodo infinitam unde cognoscit infinitos gemituros futuros vel infinitos homines futuros si generatio hominum in futuro in infinitum duraret quod deus facere posset secundum San. Tho. nunquam tamen essent infinite anime in actu: licet ergo aliquis cognoscat infinita tamen non sequitur quod cognoscat omnia factibilia a deo: et per consequens non comprehendit ipsum.

Ad secundum dicitur quod quantitas est finita secundum intensiōem quia recepta fuit subiecto. Ad aliud negatur sequela quia albedo separata haberet esse receptum et finitum et determinatum ad certam speciem licet esset infinita quantum ad separationem albedinis. San. Tho. I. p. q. 5. ar. 2. ad 4. et in 3. di. 13. q. 1. ar. 2. q. 2. dicit quod nulla albedo posset esse intensior quam albedo separata. Notandum preterea quod S. Th. dicit unum infinitum posse esse maius alio et ideo virtus infinita non equaretur ipsi deo de veri. q. 2. ar. 9. dicit quod nihil prohibet infinitum unomodo esse finitum: alio modo ut si esset corpus infinitum longum et finite latum eius albedo est infinita secundum extensionem et finita secundum intensiōem et posset illud corpus pertransiri secundum unam dimensionem. Item sanctus thomas quod 9. ar. 1. quod predictum corpus posset esse minus alio corpore quo esset infinite longum et latum sic etiam calor separatus datus esset infinite virtutis tamen adhuc excedentem a deo idem habet. 3. par. q. 10. ar. 3. ubi dicit quod nihil prohibet esse plura infinita secundum unam dimensionem et quod in duabus lineis infinitis sunt plures partes quam in una unde numeri pares et impares sunt plures quam pares.

Ad quartum dicitur quod deus infinita alia genera et infinitas species producere posset de po. q. 1. ar. 1. ad donum et ideo nunquam est exhausta. Alia non sunt contra nos quia non ponimus calorem in subiecto esse infinitum nec aliud accidens. Contra tarditas alicuius motus est infinita ponendo quod resistentia continue augeatur sic quod sit maior quam gravitas descendens tunc illud graue semper tardius descendet dicendum quod in nullo instanti erit infinita in actu.

Ad quintum dicitur 2. de anima. Videtur quod illa ratio solum probat quod naturaliter non est dabile infinitum alie autem rationes quod nullomodo de numero omnium punctorum dicitur quod non est actualis sed potentialis ut supra dictum est. Secus autem est de animabus actu separatis.

Ad sextum dicit San. Tho. de ve. q. 2. ar. 10. ad 1. quod rationes que sunt in mente diuina sunt productiue creaturarum secundum modum quem patitur ratio creature hoc est successiue unde licet rationes ille in mente diuina sint in materiales tamen produciunt res materiales. Si queratur an deus cognoscat infinita actu dicitur quod sic ar. 9. sed contra quo. 9. ar. primo ad secundum

Articulus quintus.

dicitur quod esse infinitum repugnat ei quod est esse actus. Et ideo in intellectu non habet verbum proprium autem qui posuerunt infinitum esse in actu propriam vocem ignorauerunt ex quo patet quod infinitum in actu non est intelligibile: alias esset producibile quia non erit impossibile apud deum omne verbum: ergo deus non intelligit infinita actu. Quod si concedas Contra quicumque intelligit aliquam propositionem perfecte ille perfecte intelligit subiectum: sed deus perfecte intelligit hanc propositionem nullum est infinitum in actu ergo perfecte intelligit predicatum dicendum quod deus non intelligit componendo et diuidendo. 2. dico quod deus actu cognoscit ea que erunt infinita secundum successionem temporis. Quidem dicit quod deus non est exemplar infiniti sed finitorum in infinitum. Ad aliud a quibusdam negatur maior: quia intelligit malum et tamen non producit malum. Contra philosophus. 2. thomas arguit quod scire et intelligere non sunt idem: quia contingit plura scire et unum solum intelligere ergo si deus plura intelligat quam poscit producere sequitur quod suum intelligere non sit idem cum sua potentia et quod sua potentia ab aliquo excedatur. Alii dicunt sicut ad precedens quod ea potest se producere successiue vel quod infinita potest producere sine categoricis et in sensu diuiso hoc est non totum plura.

Ad septimum quid dicunt quod species non sunt infinite sed in infinitum sunt dabile species. Sed dicitur sicut ad precedens.

Ad octauum patet repugnantia ex supradictis San. Tho. I. p. q. 7. ar. 3. ad primum dicit geometer non indiget linea infinita actu: sed finita a qua potest subtrahere quantum sibi placet: quia ita bene fiunt demonstrationes de paruo triangulo et magno: sed dices omnes trianguli sunt equales absolute: quia equatur duobus rectis: recti autem sunt equales ex principio geometrie. Preterea San. Tho. ibidem ar. 3. dicit quod licet infinitum non sit contra rationem magnitudinis in communi tamen est contra rationem cuiuslibet speciei eius. Ad aliud dicitur quod passio infiniti reducitur ad actum incompletum per unam diuisionem. Si dicatur homo est actu risibilis: quia risibile est passio eius: sed infinitum priuatiue est passio quantitatis ergo hoc modo quantitas est actu infinita. Dicendum negando consequentiam si actus determinet infinitum.

Ad nonum dicitur quod conditionalis nihil ponit et aliud patet ex dictis.

Ad decimum dicitur quod multa sunt distincta que tamen deus non posset separare. Secundo dicitur quod aliqua copulatiua est impossibilis cuius quelibet pars est possibilis et cuiuslibet alteri compossibilis in particulari ut patet de hac quilibet homo currit et sor. est et sor. non currit vltima enim pars potest stare cum sola prima post mortem sortis.

Ad undecimum patet ex dictis nec admittitur casus: nec in sensu composito conceditur esse possibile deum quolibet partem continuare cum alia secundum longitudinem in sensu tamen diuiso quelibet pars posset cum alia parte continuari. Et ita dicatur ad duodecimum. Si dicatur non minoris potentie est deus quam infiniti angeli si essent sed infiniti angeli si essent producerent simul omnes infinitas cogitationes et ignis inferni cruciaret infinitos damnatos si essent: ergo deus hoc potest se solo. Negatur consequentia si enim esset alius deus ille posset producere alium spiritum sanctum et tamen deus